Q. R. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS

De

DENUNCIATIONE EVANGELICA.

QUAM

MAGNIFICI ET NOBILISSIMI JCTORUM ORDINIS, IN FLORENTISSIMA UNIVERSITATE ALTDORFFINA, CONSENSU

Pro

SUMMIS IN UTROQ; JURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS CONSEQUENDIS

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

ſubjicit

CHRISTIAN-FRIDERICH JANUS,

Lichtenbergenſis, Saxo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ALTDORFFI

è Calcographeo Johannis Henrici Schönnerſtædt.

ANNO M. DC. LXIIX.

Digitized by Google

JAnus, non bifrons, ſed Jus edoctus utrumq;.
Augeat Aſtrææ rem, vigeatque, precor.

Hisce Dn. Candidato Concivi ſuo dilecto, & amico integerrimo, in celeberrimâ Academiâ Noricâ ſummos in utroq; Jure honores petenti, gratulari voluit.

HENRICUS BAUMANNUS, SS. Theol. D. Illuſtris Gymnaſii Coburgenſis Director & P. P.

POſtquam conſuetos poſuiſti JANE labores
Carmen votivum ducit amica manus,
Sed quia non longos ſoleo diffundere verſus,
In parvo totum carmine pectus habe:
Proſpera jam ſtudiis, ſuccedat practica vita
JANE patrocinium conſilium vé feras.

Pauca hæc affectus benevoli in Dominum Candidatum declarandi ergò ſubjecit.

JOH. WOLFFG. TEXTOR, D.

JAnus erat catus, atq; viri prudentis imago,
Et vultus ideò dictus habere duos.
Sic

Sic veteres pinxere. Hodie qui pingere vellet
Redderet os fuco, candide JANE, tuum.
Volventem jus Cæſareum canonesq; ſacratos
Pingeret. Hæc hodie qui ſapit, ille ſapit.

Dilectiſsimo ſuo Commenſali, Amoris ſinceri ergò appoſuit

M. JOH. PAULUS Felwinger/ Polit. Metaph. & Log. P. P.

C. B. D.

CAP. I.

De denunciationis Evangelicæ definitione & requiſitis.

§. I.

DEnunciationis vocabulum, quàm variè accipiatur, cumprimis *apud Bertach. in rep. Jur. verb. Denunciatio*; inveniendum; & *Dn. Goth. de Jena tract. de Sct. Maced. ſect. 4. aph. 3.* Præſens verò, adjectâ voculâ, Evangelica, ab aliis omnibus facilè ſeparatur. Cùm verò controvertatur, quo usque extendenda? antequam ad ejus deſcriptionem accedamus, priùs perſpiciendum, utrum in correctione fraternâ abſolvatur denunciatio Evangelica; an verò citra emendationem etiam rei reſtitutionem intendat? Si originem ſpectas, & textus Evangeliſtarum, ubi fundatam illam eſſe dicunt Pontifices, finis unicus erit reſipiſcentia. Ultra enim quòd locus, *Luc.* 17,3. tantùm de condonatione fraternâ loquatur: textus *Matth.* 18,15. denunciationis quidem triplicis mentionem facit; nihil verò de reſtitutione rei injuſtè poſſeſſæ, aut cauſis ſpiritualitati annexis.

Denunciatio quoad originem in correctione fraterna conſiſtit.

II. Ex

Extenſa ad rei reſtitutionem.

II. Ex iſtis tamen textibus remedium à Pontifice Romano *in c. 13. extr. de judic.* formatum, quo certis caſibus lis ſopita reſuſcitari, & ſententia à Magiſtratu ſeculari lata, ob injuſtitiam, quam in ſe continet, corrigi queat; ne hoc modo illi, qui obtinuit, cauſa peccandi detur. Cujus cap. origo fuit controverſia, inter Philippum Auguſtum Francorum, & Johannem Anglorum Regem, orta. Huic bellum movebat Philippus, perpetratum in perſonâ Arturi, patrui ejusdem Johannis, parricidium, ademptione feudorum, quæ in Gallia poſſidebat, vindicaturus. Johannes, viribus impar, eâ de re apud Innocentium III. inſtituebat querelam, prætextu violati Jurisjurandi; quo pactas ſecum inducias confirmaverat. Hujus petitis lubentiſſimè annuebat Pontifex, cauſam perjurii perpetrati ad ſuum tribunal pertinere, prætendens; Philippoq;, ob impoſitum Eccleſiaſticis perſonis tributum, ad ſuſtinenda belli onera, infenſus. Miſſo igitur Legato ad Regem Philippum Abbate Caſemarii, illi nunciavit, niſi arma deponeret, & ex integro de jure ſuo experiretur apud dictum Abbatem & Archiepiſcopum Bituricenſem, univerſo ejus regno ſacris interdicturum. Cui reſpondit Philippus; ſe neque datam fidem, neque inducias violaſſe; ſed perpetratum, in terris ſuæ Jurisdictionis, parricidium, juſto bello vindicare; atque ſic arma non poſiturum; quâ de re vide ſis *Jean de Serres Inventaire de l' hiſtoire de France*; *in vita Philippi: it. Cujac. in recit. ad Decret. hoc cap.*

III. Hæc de occaſione hujus capit. Transeundum ad remedium ipſum, quod nonnulli Dd. volunt eſſe Univerſale, competens contra quemvis peccatorem;

torem, ut à peccato abſtineat: alii, contra illum tantùm dari, qui aliena contra conſcientiam detinendo, in peccatis vivit. *Vid. Vallenſ. ad Decret. de Accuſ. n.* 4. *& Ungeb. eod. n.* 28. qui priori ſententiæ ſubſcribunt: poſteriorem dicunt eſſe *Maranta, de Ord. Jud. p. 6. c. de denunc.* 2. *n.* 4. quem eo nomine notat *Strein. in Antin. J. Pontif. tit.* 10. *diff.* 41. puto tamen Marantam hæc nunquam ſtatuiſſe, cum totale denunciationis hujus objectum attingere, à ſcopo ejus fuerit alienum. Sed quicquid ſit, bipertitum tamen eſt hoc remedium propter finem diverſiſſimum, qui pro caſuum varietate, nunc in nudâ pœnitentiâ conſiſtit, nunc rei quoque reſtitutionem deſiderat; Alteram ejus partem, ut potè utiliorem, noſtræ tractationis ſcopum facimus, dicentes quòd ſit remedium extraordinarium Canonicum, quo quis, Juris actionibus ordinariis deſtitutus, adverſarium, rem injuſtè, & contra conſcientiam obtentam, retinentem, poſt binam denunciationem, Judici Eccleſiaſtico denunciat, & ejus, quod ſibi abeſt, reſtitutionem petit.

Eſt bimembris; alterum ſive poſterius membrum hujus tractationis eſt ſcopus.

Quod definitur.

IV. Ante ulteriorem hujus remedii extraordinarii explanationem perpaucis videndum, quomodo hoc remedium, per extenſionem ex dictis textibus Evangelicis deductum, differat ab illo, quod ex cit. locis ad ſolam reſipiſcentiam competit, fraternâ ſcil. correctione. Patet differentia ex eo primum quòd neque verba Servatoris ſive antecedentia ſive conſequentia remedii alicujus reſtitutorii, & correctorii ſententiarum Judicialium faciant mentionem. Alienum enim omninò ab officio Epiſcopi fidelis, ſe immiſcere actibus Politicis, cauſaſque civiles pertractandas

Differt hoc à priori, 1. quia hoc plane contrariatur officio Magiſtratus Eccleſ.

 das

das & dijudicandas ſuſcipere, utut correctio Magiſtratus Eccleſiaſtici, & adhortatio tali caſu ſit neceſſaria, ut reſipiſcat injuſtus detentor rei alienæ.

2. quia hoc poſterius eſt voluntarium, prius neceſſarium.

V. Eluceſcit quoque inde differentia; quòd hæc denunciatio, quam impræſentiarum pertractare ſuſcepimus, ſit remedium, inventum in favorem ejus, qui vel per rigorem Juris civilis, vel ob defectum probationum, à perſecutione rei ſibi debitæ excluditur; quo tamen nemo uti cogitur; cum cuilibet privilegio in ſui favorem introducto renunciare licitum ſit. Econtrariò illa denunciatio, quæ emendationem intendit, tantum abeſt ut ſit liberi arbitrii, ut ejus omiſſio peccatum ſit mortale; dummodo probabiliter quis præſumit, fore, ut denunciatus corrigatur; & tamen vel ob metum, vel tepiditatem, vel alium humanum reſpectum illam intermittit: ſi verò de correctione futurâ non omninò certus eſt, mortaliter non peccat omittens, venialiter tamen, ſecundum Dd.

Etiam ubi timetur deterioratio.

VI. Illud canoniſtarum igitur improbandum *Felini ad h. c. & ex illo Bertachini in repert. Jur. verb. Denunciatio* aſſerentium noſtram denunciationem non eſſe præcepti, ubi timetur deterioratio; ſed ejus omiſſionem eſſe meritoriam: Contrarium ex textu Evangelico apparet, vult enim Servator noſter, ut, ſi non audit, nec obtemperat Eccleſiæ, habeatur pro Ethnico, non habito reſpectu, an deterior fiat, an non. Sed &, cum propter duo fiat hæc denunciatio; tùm propter correctionem peccatoris, tùm propter exemplum, ut alii metum habeant, & deterreantur; ſanè ille alter finis qui emendationem proximi reſpicit magis attendendus; utpote, qui deteriorationem multorum impe-

impedire poſſit; uti accuratè ſtatuit *Panorm. d. c.* 13. *extr. d. judic. per can. pen. diſt.* 45. *can.* 1. *diſt.* 4.

VII. Quid, quòd denunciatio, de qua Servator *Matth.* 18. pro fine tantùm pœnitentiam habeat: illa verò, quæ per extenſionem exinde à Pontificiis fuit formata; non tàm pro fine pœnitentiam, quàm reſtitutionem agnoſcat? quare etiam *Panorm. h. l. n.* 32. confitetur, finem hujus denunciationis non differre à denunciatione judiciali. Hinc non obſcurè patet, non fuiſſe intentionem Pontificis, ut hoc remedio homines ad pœnitentiam agendam duceret; ſed potius, ut caſum aliquem ſibi reſervaret, quo ſuam ſupra Principes & Reges, omnemque ſecularem Magiſtratum exerceret ſuperioritatem, qui non erubuit ſibi Jurisdictionem aſſerare in habitu; [*ita loquitur Panorm. ad h. c. n.* 6. quo gradum excellentiorem intelligit, uti ipſe explicat, *n.* 11. ubi dicit; quod in temporalibus habeat Jurisdictionem in habitu, executionem tamen commiſerit Principibus,] utut fucum ex ſacro Codice huic negotio quæſiverit.

3. quia diverſum habent finem.

VIII. Hæc de differentiâ noſtri remedii *ὡς ἐν παρόδῳ.* Transeundum ad requiſita, quorum unum eſt, deficientia remedii ordinarii. Suppletorium enim tantùm eſſe volunt hoc remedium Canoniſtæ, & cùm demùm ad illud recurrendum, quando in foro ſeculari, aut propter deficientiam actionis, aut iniquitatem ſententiæ, & alia obſtacula excluditur læſus: tùm demùm ad tribunal Eccleſiaſticum accedendum, quod, velut omnium Judiciorum ſupremum, ſubveniet læſis, reſtituet deperdita, corriget iniqua. Quis adeò hebes eſt, qui non Pontificis arrogantiam quæſitumq;

Requiſita ſunt 1. defectus remedii ordinarii.

Quod Papalem Tyrannidem ſapit.

dominium ſupereminens deprehendat? Utique illud judicium ſuperius eſt,ad quod ab altero datur cauſæ devolutio; neque concurrentem Jurisdictionem habentia judicia, cauſæ avocationem admittunt. Atque ita dubio procul omnia judicia ſecularia Eccleſiaſticis eſſent inferiora.

Et quæſitâ ejus præeminentiam innuit.

IX. Equidem affirmant Canoniſtæ, non eſſe mentem Pontificis, ut confundat diſtinctas Jurisdictiones; ſed ut una alteram adjuvet. *c.* 14. *de Offic. Jud. Ord.* duosque gladios, Eccleſiaſticum & temporalem, ſibi ad invicem ſuffragari, & in juvamen alterius, ſubventione mutuâ frequentius exerceri. *c. 6. in fin. de ſent. excomm. in* 6. Verùm ſi ſibi mutuam opem ferre debeant ejusmodi Jurisdictiones; quare à Temporali Judice Eccleſiaſticus in cauſis à ſe deciſis nil niſi executionem petit? *vid. c.* 14. *de Offic. Jud. Ord.* Annon hoc eſt pro miniſtro uti Magiſtratu, & pro Carnifice; qui latam ſententiam exequi tenetur, citra cauſæ examinationem? Apparet ergo quomodo intellectam velit Papa præmiſſam *in h. cap.* proteſtationem, de non imminuendâ Regis Galliæ Jurisdictione. Certè quoniam præſupponit, ſibi licere cauſis Regum & Principum ſe immiſcere, illudque ſuam nominet Jurisdictionem; de injuriâ ſibi illatâ quàm maximè fuiſſet conqueſtus, ſicuti Rex Galliæ talem Pontifici poteſtatem competere pernegâſſet. Quod ipſum, quò eô feliciùs obtinere poſſet, patrem ſe Regum nominavit, patriæ poteſtatis magnitudinem minimè ignorans.

Secundum requiſitum eſt materia peccati.

X. Alterum requiſitum eſt; ut adſit materia peccati, non quidem mediatè, ſed immediatè apparens; Dicunt autem immediatè adeſſe materiam peccati, quan-

quando ſtatim primo intuitu apparet; ita ut ad illam probandam non opus ſit aliquâ ratiocinatione ulteriori: utpote quando contraventum præceptis Juris Naturalis & Gentium, aut contra expreſſam Juris Civilis ſanctionem aliquid factum aut impetratum. Mediatè contrà adeſt, quando non apparet iſta iniquitas liquidò; ſed demùm per prolixas fori disputationes eruenda.

CAPUT II.

De Caſibus ſpecialioribus. quibus locum habet hac Denunciatio.

§ I.

DIctum hactenus, quidnam ad hanc denunciationem requiratur; deſcendendum nunc ad ſpeciales Juris materias in quibus ipſi eſt ſedes. Locum autem habet primò in caſu hujus capit. Quando ſc. Princeps contractum à ſe initum, aut ea quæ Juris Gentium ſunt, de facto ſervare detrectat. Namque, cum ſciverit Pontifex, Principem, quanquam Legibus ſit ſolutus, Gentium tamen, & Naturali Jure teneri, vafrè admodum, ſententiam tali caſu ſibi ferendam, utpotè Dei in his terris Vicario, ad regimen univerſalis Eccleſiæ, ſupernâ diſpoſitione vocato, prætendit. Hic fuit color, quo tale ſupereminens Jus pinxêre Pontifices. Nos dicimus; licet Princeps, contraveniendo præceptis Nat. & G. graviſſimè peccet in Deum, non tamen ideò in illum animadvertendi cuiquam competit poteſtas; ſed illa ſoli Deo reſervata. Adhortatio ad pœniten-

Locum habet hoc remedium quando princeps peccat.

nitentiam Theologis injuncta, ſed non per adductos textus Evangeliſtarum.

It. contra ſtatutum iniquum. II. Dein quoque locum habere ajunt hoc remedium, quoties Leges & ſtatuta expreſſam fovent iniquitatem. Quamvis enim Jus injuſtum ipſo Jure nullum ſit, neque à juſſu ſuperioris vim obligandi internam accipiat; eſſe tamen poteſt, ut de facto ſervetur. Et eo caſu, quoniam talis lex eſt nutritiva peccati, [uti loquuntur Dd.] neque tutum efficiat aliquem in foro conſcientiæ; competere læſo hoc præſens remedium, quo & ille rem, ſibi tali ſtaturo ablatam, repetere poſſit; & adverſarium, alienam rem cum periculo animæ tenentem, corrigere, & à peccato liberare. *Et præſcriptionem injuſtam* Speciatim verò adducunt Dd. Præſcriptionem; in quâ, cum bona fides pro fundamento requiratur; ſtatutum, quo præſcribens malâ fide, contra verum Dominum tutus eſt, injuſtitiam fovere; adeoque læſo dandum hoc remedium. Quod ipſum, quoniam æquitati congruit, uſu fuit approbatum *Alex. in conſ. 83. cit. à Tuſcho. pract. concl. verb. denunciatio. n.* 14.

III. Notandum autem, tùm demum competere hoc remedium contra præſcribentem, quando lex expreſsè malam fidem admittit; & ita intelligendus omninò eſt *Bart. in extrav. ad reprim. verb. Denunciatio n.* 11. Secus verò quando pro ſolutione habet præſumptionem in præſcriptione debiti; vel, in præſcriptione immobilium, præſumptionem celebrati contractûs. Tunc enim, quoniam apertè peccatum non fovet tale ſtatutum, remedium hoc non competit. *Vid. Tuſchus pract. concl. verb. denunciatio.* Hinc non abs re quæritur, an contra præſcriptionem longiſſimi tempo-

Non verò contra præſcr. 30. vel 40. ann.

temporis locum habeat hæc denunciatio? De illa quidem, in qua defectus tantùm eſt in titulo, adeſt verò bona fides; facilis eſt reſponſio; quod ſcilicet locum non habeat: de alterâ verò, quâ qualitas poſſeſſionis planè non attenditur; ſed ſolus lapſus temporis, res non adeò clara; præſertim, cùm Jus Canonicum in omni præſcriptione bonam fidem requirat; & ſemper. *c. 5. & ult. de præſcript.*

IV. Negativè tamen ſimiliter reſpondendum. Cùm Jus civile malam fidem poſſeſſoris non foveat, ſed potiùs negligentiam Domini, per tantum temporis ſpatium rem ſuam negligentis, eo ipſo caſtiget. Hinc etiam exceptionem tantùm tribuit, nullam actionem. *l. 8. §. 1. 2. 3. C. de præſcript. 30. ann. Perez. in C. d. t. n. 15.* Quare de injuriâ ſibi illatâ conqueri non poteſt, cùm ſuperior etiam Dominium alicujus rei, citra ullum temporis ſpatium in alium transferre poſſit, ſi Dominus aliquo delicto tale quid meruerit. *Vid. Dn. Struv. Ex. 43. th. 20.* Et minimè eſt abſurda illa ſententia; etiam illâ ultimâ præſcriptione naturalem obligationem aut penitùs tolli, aut ad minimùm inefficacem reddi. *Hieron. de Cævallos in ſpec. aur. opin. comm. contra comm. tom. 1. q. 397. n. 3.* *Neq. Iure Civ.*

V. Quod verò Jus Canonicum attinet, etiam ſecundum illud ad hoc remedium minimè recurrendum cùm omnis præſcriptio absque b. f. illo jure ſit nulla *d. c. 5. & ult.* Idem etiam de neglectâ querelâ non numeratæ pecuniæ, intra 30. dies à creditore poſt remiſſam debitori apocham; *per l. 14. §. 2. C. de non num. pec.* & intra biennium à debitore, poſt datum, ſpe futuræ numerationis, chirographum, inſtituenda, *Neq. in caſu neglecta quer. non num. pec.*

 d. l.

d.l. 14. *pr.* cum etiam iſtæ legum ſanctiones pœnales ſint, negligentiam illorum, [Mercatorum maximè]qui res ſuas parùm circumſpectè tractant, caſtigantes. Niſi forſan circumſtantiæ negotii aliud ſuaderent. *Diſs. Bald. in auth. ad hæc C. de Uſur.* cui tamen Dd. communiter contradicunt.

Denunciationi nequidem cum Juramento poteſt renunciari. VI. Sed quid juris ſi quis dolo circumventus contrahit, atque Juramento confirmat, ſe ſervaturum contractum, poſtmodum, dolo comperto, jurat decepto ri, ſe nolle petere abſolutionem à juramento priori, contractui adjecto? in foro civili ſanè talis, ob religionem Jurisjurandi, non reſtitueretur; à denunciatione tamen eum non repellendum, volunt Dd. *Abb. cit. Tuſch. dict. l.* Rationem putant eſſe poſitam in eo; quia hæc denunciatio manat & ab actu juſtitiæ, & ab actu charitatis; & quanquam videatur denunciationi quatenus ab actu juſtitiæ procedit, renunciari poſſe, quia tunc tantùm per exemplum & ſatisfactionem, ad inſtructionem aliorum, ordinatur; minimè tamen renunciari poſſe eidem quatenus procedit ab actu charitatis; eſſet enim juramentum de re illicita, ſcilicet de non corrigendo & admonendo peccatore. Aſt quoniam hic actus charitatis, à quo procedit denunciatio, conjunctum ſibi habet actum juſtitiæ, ut ab invicem divelli & ſeparari non poſſint. *per reg.* 4. *de R. I. in* 6. ſequitur, quòd neque illi poſſit renunciari quoad actum juſtitiæ.

Non competit illi, qui exceptioni renunciavit VII. Quæritur ulteriùs, an competat illi, qui dolo circumventus contrahit, atque exceptioni de dolo malo renunciat? aut; qui, verum ſe debitorem putans, indébitum ſolvit, & condictioni indebiti renunciat?

Pluri-

Plurimi quidem illud affirmant, cum unicuique liberum ſit Juri pro ſe introducto renunciare: ſunt tamen permulti qui negant; cum eâdem quis facilitate, qua inducitur ad contrahendum, perſuaderi quoque poſſit ad renunciandum; & qui dolo uſus eſt in contrahendo, eo callidiori uſus fuiſſe præſumitur, in petendo renunciationem. *Dn. Struv. Ex.* 18. *th.* 42.

IIX. Verùm prior ſententia videtur verior. Utut enim largiamur induci poſſe quendam perſuaſionibus doloſis ut renunciet Juri ſuo, & ſibi competentibus exceptionibus; quoniam tamen, ut huic vel illi exceptioni in ſpecie renunciet contrahens vel ſolvens, non poteſt omnimodam doli, aut indebiti ignorantiam prætendere; cum ſcire omninò debuerit, ſubeſſe rationem quare petatur renunciatio; ſibi ergo imputet, quod, cum doli facta fuerit mentio, non ulterius inquiſiverit, an ſubſit dolus; & cum adhuc in ipſius poteſtate fuerit, etiam poſt petitam renunciationem, renunciare vel non; ſibi adſcribat, quod adeò fuerit incautus; Jura enim deceptis quidem ſubveniunt & errantibus; non verò culposâ negligentiâ privilegio renunciantibus.

IX. Deveniendum ad alios caſus, in quibus obligatio naturalis tantùm deprehenditur. Eſt autem illa duplex, vel plena vel minùs plena; de hac priùs dispiciendum; ex cujus deſcriptione patebit, contra naturaliter obligatum minùs plenè non dari noſtram denunciationem. Dicitur autem minùs plena, ſeu ſimplex naturalis obligatio, quando Jus Civile debito naturali planè non aſſiſtit. Ex tali obligatione naturali alteri nullum Jus eſt quæſitum, ad exigendum id, ad

Neq; contra illos, qui ex oblig. naturæ minùs plenâ obligantur.

 quod

quod naturaliter obligati ſumus; Ergo apparet, quod læſio hoc caſu deficiat; quæ tamen neceſſariò requiritur, ſi locum invenire debet denunciatio. Et ut res exemplis illuſtretur, conſiderabimur in quibusnam negotiis talis minùs plena obligatio inveniatur. In obligatione qnidem ad ἀντίδωρα; it. ad eleemoſynas res clara eſt. Quibus accenſendam puto obligationem, ad præſtanda integra legata, citra Falcidiæ detractionem; it. obligationem ad reſtituendam totam hæreditatem ex fideicommiſſo, citræ detractionem quartæ *jung. Hahn. in obſerv. ad Weſenbec. t. de condict. indebit. n. 6.* Quanquam enim obligatio aliqua ſit in hærede, adeoque videatur teneri ad implendam defuncti voluntatem, *arg. l. 1. C. ad l. Falc. junct. l. 10. de J. & f. ignor. conf. l. 10. de O. & A.* quoniam tamen alteri nullum Jus quæſitum eſt, ad debitum exigendum, hinc eluceſcit quòd hæc obligatio minùs ſit plena; Nam nihil deeſt alteri, quod illi debetur, neque ex promiſſione, neque alio quodam jure.

Quales ſunt hæredes fideicommiſſo Univerſali, aut legato gravati

X. Dices: utique hæredi debetur, J. ſcilicet hæreditario, quod voluntate defuncti illi acquiſitum? ℞. deberi quidem hæredi Jure hæreditario, quod ipſi à defuncto relictum; ſed an ita debeatur, quod relictum; ut nullam ob cauſam ejus aliqua pars detrahi poſſit, meritò dubitandum. Quemadmodum ergo æquum eſt, ut impleatur voluntas defuncti in præſtandis legatis & fideicommiſſis, ita æquum viciſſim eſt, ut inſtitutus hæres non incommodum tantùm ſentiat, neque tempus & labores perdere teneatur; ſed aliquam habeat recreationem: quare veluti obligationem ex Jure hæreditario legatario aut

fidei

fideicommiſſario acquiſitam eſſe reſpectu illius partis, quæ poſt quartæ detractionem ſupereſt, concedimus; ita plenam illam eſſe reſpectu legatorum & fideicommiſſorum absque detractione præſtandorum negamus. Adde, quòd in teſtatoris poteſtate fuerit expreſſis verbis detractionem quartæ prohibere. *Nov.* 1. *c.* 2. illo igitur intermiſſo, videtur ejus detractionem permiſiſſe. Nullo modo ergo denunciatio in hac facti ſpecie locum habere poterit; cum etiam J. Canonicum hanc detractionem admittat. *c. Raynatius, & c. Rainaldus de teſt.* Idem dicendum de Obligatione, quæ ex teſtamento imperfecto naſcitur.

Datur contra illum, qui ex oblig. Nat. plenâ obligatus, ſi illam Ius Civ. non in totum rejiciat.

XI. Aliud de obligatione Naturali plenâ dicendum; cum in illâ & obligatio ſit, & alteri Jus quæſitum, ad exigendum illud, quod naturaliter debetur, ſolumque civile vinculum deſit; hanc verò civilis obligationis abſentiam obſtare minimè puto, quo minus noſtra denunciatio locum habere poſſit, etiamſi enim plena obligatio naturalis deſtituatur actione, operatur tamen de Jure Civili exceptionem, retentionem, compenſationem *l.* 6. *ff. d. compenſat. l.* 10. *d. O. & A.* aliosque effectus, de quibus *vid. Bachov. ad §.* 2. *Inſt. d. obligat. Sutholt. Diſſert.* 12. *aph.* 14. *cum ſeqq.* Hinc datur quoque denunciatio contra debitorem ex pacto nudo obligatum. *Vid. Bertachin. in repert. Jur. verb. Denunciatio.*

Secus ſi in totum illã improbet Ius Civile.

XII. Multò ſecus ſentiendum de obligationibus naturalibus, quas Jus Civile rejicit in totum; neque actionem tribuendo, neque remiſſiores effectus: & proinde in illis non habebit locum noſtrum remedium. Quas inter eſt obligatio mulieris con-

tra SCtūm Vellejanum intercedentis; it. Filiifam. contra SCtum Macedonianum mutuum contrahentis. Rationem in eo principaliter poſitam vult *Panormitan. ad h. c. n.* 33. quod hæ Legum conſtitutiones ſint punitoriæ maximè ea SCti Macedoniani; Pupilli citra autoritatem Tutoris contrahentis nec locupletioris facti: quamvis *Perez. ad C. de auctor. praſt. n.* 9. contendat pupillum naturaliter obligari; etiamſi locupletior factus non ſit, quatenus habet ſenſum, indeque oriri conſenſum & obligationem *l.* 5. *pr. de aut. tut.* eum autem conſenſum habere ideò, quia poſſit obligari ex delicto: facit quoque *l.* 1 *de Novat.*

Aliud dicendum ſi dolus interVenerit. XIII. Certis tamen caſibus denunciatio poteſt inſtitui contra SCtum Vellejanum v. g. ſi mulier callidè & dolosè interceſſiſſet negotium ſuum mentita *l.* 30. *ff. ad SCt. Vellejan.* aut precium pro interceſſione accepiſſet *l.* 23. *C. eod.* Similiter ſi Filiusfamilias hactenus temperanter vivens à Titio blandis & ſpecioſis verbis centum accepiſſet ad commoda promovenda, poſtea autem centum iſtos profundens Titium decepiſſet, rectè denunciaretur. *Dn. Godofred. Jena de SCt. Macedon. ſect.* 4. *aphor.* 7. *n.* 11. *& ſeqq.*

Contra Uſurarium non datur l. CaV. XIV. Circa Uſurarum materiam; Q. an denunciari poſſit uſurarius? Pro cujus quæſtionis reſolutione primo ſciendum; non ſermonem nobis eſſe de tali denunciatione, quæ tantùm fit ob emendationem, citra rei reſtitutionem, v. g. an denunciare poſſem Uſurarium improbum fœnus à Titio exigentem; hac fini, ut agat pœnitentiam; ſed de caſu, quo Titius pecuniam ſub Uſuris beſſibus mutuò ſumpſit à Cajo, an poſſit denunciari Cajus, uſuras tales exigens

℞. de J. Civ. quod non ; ſi enim Mercator eſt Titius, tales Uſuræ ſunt permiſſæ *l. 26. §. 1. C. de Uſur.* ſin minùs, non quidem permiſſæ ſunt, aliud tamen datur remedium civile. Verùm an ſecundum J. Can. detur denunciatio, quæritur; præſertim cum communis ſit Dd. opinio, quoad Materiam uſurarum præferri Juri Civili J. Canonicum; ſecundum quod Uſuræ omnes omninò prohibentur, & inter delicta referuntur.

XXV. Utrumque ſcrupulo non caret: Et quod primum attinet; ita quidem eſt, referri materiam uſurarum inter illas, in quibus J. Can. præ J. Civili attendi dicunt; verùm quod contrarium obſervetur in plurimis, etiam inter ipſos Pontificios teſtatur *Car. Molin. tr. de Uſur. paſſim.* Quanquam ille ſtatuat, Jus Civile per canones in hoc caſu improbatum minimè fuiſſe *d. tr. de Uſur. n.* 515. rationibus tamen parùm ſtringentibus. In Jure verò Can. uſuras omnes in totum prohiberi plusquàm manifeſtum eſt; *c.* 10. *de Uſur. verb. plus tamen ſorte*; quæ ſanè nullam reſtrictionem ad immoderatas tantùm patiuntur. Nec eſt quòd nonnulli dicant; ex hac ratione reſtringenda eſſe loca J. Can. quoniam Jus Divinum, in quo Jus Can. fundamentum prohibitionis ponit, immoderatas tantùm improbat. Namque ſi ita J. Can. explicandum, quatenus ejus deciſio S. Scripturæ, in quâ ſe fundat, convenit, in quamplurimis materiis omninò everteretur. Nonne enim poteſtatem Pontificis fundatam eſſe ait in dicto *Matth* 16, 16. ubi nihil minùs dicitur quàm illud. Plurima alia produci poſſent. Certum ergo, Jus Canonicum uſuras indiſtinctè prohibere ex falsâ hypotheſi

theſi, illas pariter Jure Divino omninò eſſe prohibitas. *Vid. Dn. Ziegl. diſſert. de Mohatra. th.* 25.

Neq; de J. Canon. XVI. Dicendum igitur neque ſecundum Jus Can. in materia Uſurarum locum habere Evangelicam denunciationem, niſi eo caſu, quando aliud remedium ordinarium non datur. Licet enim, uti ſupra dictum, veriſſimum ſit, illo Jure uſuras omni caſu, ſi corticem verborum inſpicias, improbatas; quoniam tamen uſus ipſe contrarius & interpretum explicationes tunc illas admittunt, quando ex mora debitoris creditor damnum paſſurus eſſet. *Vid. cit. Dn. Ritterſh. diff. J. C. & Can. l.* 4. *c.* 11. *in fin.* per contrariam conſuetudinem huic rigori detractum eſſe, plurimi cenſendum ſtatuunt. Quin etiam prædicto caſu creditori dari contra debitorem, uſuras ex mora debitas non ſolventem, æquum eſſe videtur, ne illi ſuum officium ſit damnoſum.

Niſi certo caſu.

Datur contra illum, qui iniquam obtinuit ſententiã XVII. Plura adhuc de Uſuris, & aliis uſurariis contractibus adjici poſſent; ſed properandum ad alia. Dari quoque contra eum hanc denunciationem, qui iniquam obtinuit ſententiam ajunt interpretes; & optimâ ratione, quando conſtat, per propriam confeſſionem ejus qui obtinuit, de iniquitate *Arnold. ab Haerſolt. de Act. p.* 7. *act.* 66. *n.* 4. Si verò de illa apertè non conſtet, diſtinguit *Dn. Goth. de Jena, d. tr. ſ.* 4. *aph.* 7. *n.* 32. inter indicia violenta & urgentia contra ſententiam; quæ ſi adſint, dari; ſin minùs & lævia tantummodo ſint illa indicia, denegari.

Deficiente alio remedio. XVIII. Datur autem etiam hoc caſu non niſi tunc, quando aliud remedium, ut puta appellationis, nullitatis, reſtitutionis, non competit. Concurrere enim

enim hæc remedia Juris Civ. cum denunnciatione, & ratione & authoritate Dd. caret; quanquam illud ſtatuat *Dn. Goth. de Jena. d. tr. n.* 37. Potiùs admiſerim iſtam exceptionem; dari hoc remedium pauperibus, ob privilegium paupertatis, etiamſi civile remedium competat. *Bart. in extrav. ad reprim. n.* 9. Quod tamen iterum ceſſat in locis, ubi conſtituti ſunt advocati pauperum, qui egenis, accepto ſalario à Magiſtratu, gratis patrocinium præſtant. Danda quoque hæc denunciatio, quando quidem de Jure competit aliud remedium, de facto tamen denegatur; ut, quando appellatio rejicitur ſine cauſâ. *Bart. d. l.* Aut ſi læſus intermiſit appellationem, metu Tyrannidis ſuperioris; *Vid. Panorm. ad h. c. n.* 20. E. illi, qui appellatione uſus, in qua prior ſententia confirmata, non adeò facilè competit; cum non præſumatur, Judicem, & ſuperiorem & inferiorem iniquè judicaturos.

XIX. An contra rem judicatam detur quærunt itidem Dd. & affirmat *Maranta de Ord. Jud. p. 6. c. de denunc. n.* 6. Ratio additur à *Panorm. ad h. c. n.* 21. quoniam ratione peccati ſententia non transit in rem judicatam *arg. c. 7. de ſent. & re jud.* Rariſſimè tamen tales caſus contingere poſſe puto; cum præſumptio ſit pro judice & pro ſententiâ latâ; quare, ad demonſtrandam ejus iniquitatem, probationes luce meridianâ clariores afferendæ. *Conf. Bald. ad d. auth. ad hæc C. de Uſuris n.* 15. Extendunt quoque illud ad caſum *l. 2. C. de reſc. vendit.* quando ſcilicet læſio ultrà dimidium plenè probari non poſſit; denunciatus tamen de illâ in conſcientia ſit convictus; uti *ex Bald. in d. auth. refert Bertachin. in repert. Juris, verb. denunciatio.* Qui

Datur etiam contra rem judicatam.

C tamen

tamen *cit. loco* nihil expreſsè de denunciatione tali caſu competente continet.

CAPUT III.

De Forma & Subjecto.

§ I.

Forma eſt legitima correctio.

FOrma hujus denunciationis, conſiſtit in legitimâ peccantis correctione, ut per actualem pœnitentiam à peccatis exeat. Ut autem reprehenſio illa legitima ſit, & ſuum conſequatur effectum, requiritur, ut illam duæ aliæ præcedant monitiones vel denunciationes. Prima fieri debet in ſecreto, nullo adhibito teſte, propter verba *Matth.* 18, 15. *argue illum inter te & illum ſolum*; Poteſt autem illa fieri vel oretenus, vel per epiſtolam. An & per nuncium? *Affirmant Dd. & Dn. Goth. de Jena, ſect.* 4. *aph.* 10. *n.* 3. & quidem *arg. l.* 14. *§. ult. de conſt. pec.* Sed negativa verior: differt enim in eo à ſecundâ monitione, in qua adhibendi teſtes, vel unus vel plures. Nec eſt quod objici poſſet, teſtes in ſecundâ monitione, probationis loco adhiberi, præſente ipſo denunciante; nuncium verò in primâ monitione tantùm denunciandi cauſa ablegari. Notandum enim, ideò præprimis arguendum eſſe ſolum injuſtum illum rei alienæ poſſeſſorem, quò, ſi primæ denunciationi obſecundet, famæ ejus parcatur, neque peccatum manifeſtetur; in ſecundâ verò monitione teſtes non tàm probandi quàm adhortandi cauſâ aſſumi. Duo enim magis adhortari & arguere poſſe præſumuntur, quàm unus; quæ omnia verba tex-

Præcedunt duæ admonitiones privata.

Prima fieri debet ſecreto.

Non per nuncium.

Quia repugnat naturæ negotii.

ba textus : adhortare illum : luculenter demonſtrant.

II. Ex *l.14. §.3. de conſt. pec.* non video quomodo validum argumentum poſſit deduci; ſiquidem, quod conſtitutum attinet, non repugnat naturæ illius negotii præſentia plurium, multò minùs ejusdem revelatio; quod ſecus in præſenti caſu, ubi differentia hujus & ſecundæ denunciationis in eo eſt poſita, ut, ſi primæ pareat Reus, abſcondatur commiſſum peccatum, & pallio charitatis Chriſtianæ obtegatur, ne ad notitiam aliorum perveniat. Sequitur poſtmodum hanc primam denunciationem ſecunda, quæ fit adhibito teſte unico vel duobus, ad quam probandam juramentum & denunciantis & teſtis requiritur, ſi, illam factam eſſe, denunciatus neget. Ubi notandum, & in primâ & in ſecundâ denunciatione terminum præfigi poſſe, intra quem reſtituat; quo effluxo, & reſtitutione nullâ ſubſecutâ, eò tutiùs ulterius progredi poſſet denuncians, cum alioquin, nullo termino præfixo, ſemper ſpes correctionis queat ſupereſſe. Et hæ quidem duæ denunciationes regulariter ſemper præcedere debent tertiam, certis tamen caſibus adhuc omitti poſſe, nullum eſt dubium; utputa ſi periculum diſtractionis immineat, vel res ſit peritura; vel etiam in caſu *c.17. in fin. diſt. 45.* it. ſi jamdum publicè crimen ſit notum.

Secunda fit adhibito teſte, vel uno, vel duobus.

III. Nihil autem proficientibus prædictis monitionibus, ad tertiam progrediendum & denunciandus eſt Reus Eccleſiæ coram Judice Eccleſiaſtico, cui Juriſdictio in ſpiritualibus competit; utpote Prælato, Epiſcopo, aut quomodocunque nominetur, narrando le-

Et tand ſequitur tertia.

 do le-

do legitimè factum: Eſſe ſcilicet hunc vel illum injuſtum rei alienæ poſſeſſorem, & conſcientiam habere læſam; ſpretis tamen duabus admonitionibus, in peccato hucusque perſeveraſſe; petere ergo ſe, ut illum ad pœnitentiam, cenſurâ Eccleſiaſticâ, adigat, & à peccatis, reſtitutione rei alienæ, exire cogat. Ante omnia verò notandum, verba hujus denunciationis debere eſſe moderata, & adeò aliena ab omni non ſolùm injuria, quâ peccatoris fama lædatur in temporalibus; ſed etiam ita temperata, ne fortè animum ejus magis indurent aculeatâ & vehementiori reprehenſione; ſiquidem infamati libentius peccare ſolent. *c. 4. diſt. 17.*

Actor eſt ille qui læſus eſt.

IV. Satis de forma: progredior ad ſubjectum; quod duplex eſt, activum & paſſivum. Activum ſunt omnes læſi & civile remedium non habentes. Verùm controvertunt Autores, an etiam fieri poſſet, ſi, v. g. Titius peccaſſet non contra me; ſed contra tertium quendam; an pro tertio agere mihi ſit conceſſum? id quod interpretes affirmant; dubitandum tamen meritò de hac ſententiâ; cum enim hoc remedium civilia imitetur, ad illud nemo admittetur, niſi poteſtatem agendi à Principali acceperit. Et quidem ſi accepit, nullum eſt dubium quin competat: aſt ubi talis eſt ſtatus controverſiæ, quo Titius iniquam contra Cajum obtinuit ſententiam, Cajus tamen rem ſuam penes illum relinquere mavult, quàm hoc remedio experiri; tunc mihi, ſcienti Titium habere conſcientiam læſam, non incumbit inſtituere illud remedium contra Titium, ut rem injuſtè poſſeſſam redderet Cajo, atque hoc modo de peccato exiret.

Tertius agere pro alio non tenetur.

V. Ete-

Quamvis adhortari teneatur.

V. Etenim quanquam de fraternâ correctione affirmandum, teneri ſcilicet Chriſtianum corrigere non ſolùm peccantes in ſe, verum etiam in alios; ut reſipiſcant: de hoc tamen remedio tantùm abeſt, ut tenear ego loco alterius inſtituere hoc remedium; ut potiùs, quando inſtituerem, repellendus ſim. Ultra enim, quod Apoſtolus, ſatiùs eſſe, dicat, perferre injuriam, quàm litigare, 1. *Cor.* 6,7. adeò incertum eſt, ut, intentato hoc remedio contra proximum, ille ſemper ad pœnitentiam agendam inſtigetur, ut ſæpe numerò magis magisque in injuſtitiâ ſuâ atque impœnitentiâ perſeveret, & ad blasphemationes, contemptum miniſterii inſtigetur; vel etiam de probationibus contra conſcientiam ſit ſollicitus. Et licet verum ſit, peccatum non remitti, niſi reſtituatur illud quod ablatum eſt, *reg.* 4. *de Reg. J. in* 6. non ſequitur tamen, quandocunque denuò fuit extortum quod in foro ſeculari injuſtè quis obtinuit, etiam peccatum ipſi eſſe remiſſum; cum remittatur non niſi pœnitentibus, quales non ſtatim ſunt, quibus res aliena aufertur. Quoniam ergo finis, propter quem tertius aliquis contra injuſtum poſſeſſorem inſtituere poſſit hoc remedium, non ſit verus illius finis; ſed tantùm ſimulatus; neque per rei reſtitutionem obtineatur; concludendum, tertio alicui tale remedium, invito principali, non dari; deficiente præprimis textu.

Per hoc remedium non ſemper corrigitur proximus.

Competit etiam proteſtantibus Imperii ſtatibus.

VI. Aliam movet quæſtionem, *Dn. Got. de Jena d. tr. ſ.* 4. *aph.* 7. *n.* 44. Utrum hoc remedium Auguſtanæ confeſſioni addictis competat? Affirmativa veritati pleniſſimè reſpondet; maximè cum Jus Can. apud nos ſit receptum in nonnullis materiis. Nec

obeſſe poteſt, quod Lutherus, veræ religionis primus reſtaurator, Jus Canonicum Wittebergæ publicè concremarit; non enim hac fini illud fecit Vir piiſſimus, ut illud omninò in omnibus damnaret & rejiceret, ita ut nulli Principum integrum ſit, ex iſto Jure aliquod remedium, quod Reipublicæ ſalutare ac proficuum eſſe poſſit, per conſuetudinem introducere; ſed quicquid fecit ad demonſtrandos errores ſedis Pontificiæ fecit.

An proteſtantibus contra Catholicos; & contra?

VII. Sed alia inde emergit quæſtio: utrum Pontificius contra Lutheranum coram Magiſtratu Eccleſiaſtico Lutherano hoc remedio poſſet uti; & contra? Secundum textus Juris Can. negativè fortean eſſet reſpondendum: Neque dubito quin noſtrates repulſam ſint paſſuri ſi illud remedium contra Catholicum moverent *argum. c.* 3. *ſeqq. III quæſt.* 7. quo jure quavé injuriâ jam non diſputo; illud ſolùm addo: neque hæreſin, neque ipſam infidelitatem, uti nominant, ſeu paganiſmum obſtare, quo minùs illis, quibus injuria fit, juſtitiam adminiſtrarè, reſtituendo quod injuſtè ablatum, debeat Magiſtratus Chriſtianus, etiam Eccleſiaſticus. Dedecet enim Chriſtianum, injuſtis mediis trahere ad ſe bona illorum, qui ſunt extra Eccleſiam; hujusmodi facinoribus glorioſum DEI & Servatoris nomen obliteratur, atque hæreticis & Paganis anſa calumniandi præbetur. Quod textus decreti attinet; hauſti ii ſunt ex Patribus, ſed more Pontificio applicati; ſiquidem loquuntur aut de correctione fraterna, quam non niſi juſtus facere poteſt, ſecundum illud Chriſti, *Luc.* 6, 41.42. aut illud volunt, criminoſum eſſe non poſſe judicem: quid verò hæc ad denegatio-

Juſtitia adminiſtranda etiam Hæreticis & Paganis.

gationem remedii extraordinarii, competentis in caſum deficientis actionis ordinariæ aut denegatæ juſtitiæ?

VIII. Sequitur Subjectum paſſivum; uti autem activum, ſecundum Jus Canonicum, tantùm eſt fidelis ſive Chriſtianus; [licet aliud ſuadeat æquitas] ita multò magis ſubjectum paſſivum aliud eſſe non poteſt niſi Chriſtianus; Paganus enim & Judæus non modo cenſuram Eccleſiaſticam ſperneret; ſed etiam probandi media interverteret. Hoc loco disquiritur: Utrum Papa poſſit denunciari? quam quæſtionem prolixius tractat *Dn. Goth. de Jena d. tr. aph. 9. n. 6. & ſeqq.* Ego breviſſimè ℞. ob aliquod peccatum admoneri quidem poſſe à ſuo confeſſionario; ſed an multum profutura ſit admonitio in filio perditionis, viderit ille; ob rem verò injuſtè poſſeſſam otioſum erit quærere, an poſſit denunciari; cum ſuperiorem judicem, neque temporalem, neque Eccleſiaſticum agnoſcat; & cum ſecundum Canoniſtas, denunciationis noſtræ intermiſſio ſit meritoria, ubi timetur deterioratio, ſupr. *c. 1. th. 5.* opus bonum faciet, qui ab hujusmodi denunciatione Papali abſtinet; nec enim ſperandum Pontificem reſtitutum ſponte Patrimonium Petri Imperio Romano, licet vel centies aut conciliis aut toti Eccleſiæ denunciaretur.

Reus tantùm eſt Chriſtianus.

Papa non poteſt denunciari.

Tùm quia ſummus eſſe prætendit;

Tùm quia incorrigibilis.

CAPUT IV.

De Modo procedendi; & de Effectu.

§. I.

MOdus procedendi in hoc remedio eſt de ſimplici & plano: ſiquidem neglectis formalibus proceſſus

Proceſſus eſt de ſimplici & plano

ceſſus ordinarii, ſolùm requiritur libelli oblatio, reſponſio denunciati, probationes & ſententiæ *Bart. d. conſt. verb. Denunciatio n.* 7. De probationibus ad huc ſciendum, ultra duas denunciationes privatas, probandum

Actor probare debet reum habere conſcientiam læſam.

Quod ipſũ quomodo fiat?

Actori, Reum conventum habere conſcientiam læſam. Quod cum difficilimum ſit; maximè cum plurimi conſcientias ſuas ſecundum appetitum & commodum informent, videndum, quomodo hujusmodi conſcientiæ læſio probari poſſit. Quin verò per propriam confeſſionem probetur nullum eſt dubium; verum an etiam aliis modis, nudâ cauſæ ſive tituli allegatione; altioris eſt indaginis? Sanè ſi dixerit Actor Reum poſſidere ſcienter rem alienam, non ſufficit hæc dixiſſe; ſed omninò tenetur probare hujus rei dominium ad ſe ſpectare: vel Reum eſſe debitorem rei petitæ, illamque contra conſcientiam detinere, utpote non ignarum deficientiâ probationum, vel alio Juris Civilis obſtaculo, ab ejus perſecutione Actorem excludi.

Reus defendit conſcientiam, allegando titulum Quem regulariter probare non tenetur

II. Atque ita læſionem alienæ conſcientiæ ſufficienter probatam eſſe, Dd. affirmant: ſiquidem in illis, quæ ſunt difficilis probationis, concludens demonſtratio exigi nequit, ſed ad conjecturas recurrendum. Ad hanc verò Actoris probationem elidendam; non ſufficit denunciatum negare ſe habere conſcientiam læſam; hactenus enim læſio præſumitur; ſed neceſſe eſt ut alleget aliquam cauſam vel titulum, quare iſtam rem probabiliter ad ſe ſpectare, credat, ut emptionem, hæreditatem, &c. cujus allegatio, dummodo ſit probabilis, ſufficit, per ea quæ habet *Bart. l. cit. n.* 18. & denuncianti incumbit probatio contraria. Non autem

tem defendit conſcientiam, qui aut nullam cauſam allegare poteſt; aut cauſam quidem allegat, ſed injuſtam. *Maſcard. de Probat. verb. Denunciatio. n.* 16. Nonnunquam tamen ad probationem tituli allegati adigitur Reus 1. quando denunciatus eſt Vir ſuſpectæ fidei, & modicæ, vel levioris conditionis. *arg. l.* 5. *§.* *6. de re milit.* 2. ſi rei petitæ quantitas ſit magna, ſcilicet reſpectu conditionis & fortunarum denunciati *Bart, add. conſt. verb. Denunciatio. n.* 18. 3. ſi à principio negavit poſſeſſionem rei petitæ; vel, allegatâ causâ aliquâ, ad aliam recurrat; vel, ſi negavit rem eſſe actoris, poſtea verò confiteatur, aut convincatur; & impræſentiarum aliquem alleget titulum, quo ad ſe pervenerit; tunc enim non creditur illi, niſi iſtum titulum probet. *Bartol. d. l. n.* 18. *& ex eo Maſc. d l.* *Niſi certis caſibus.*

III. Læditur porro conſcientia non tantùm peccati commiſſi ſtimulis internis, quibus animus redditur inquietus; ſed etiam quavis ſcientiâ de peccato commiſſo, & detentione vel poſſeſſione injuſtâ; adeoque in hujusmodi caſibus Judex, ex circumſtantiis facti & præſumptionibus de conſcientiâ alicujus ſalvâ vel læſâ judicabit. *Conſcientia quando dicatur læſa.*

IV. De eo qui erroneam habet conſcientiam, dubitatur num contra conſcientiam rem retineat, cum in firmâ opinione ſit, ſe bonam fovere cauſam? ℞. *Bartol. l. c. n.* 18. *in fin.* licet non peccet contra conſcientiam; tamen in eo, quod conſcientiam erroneam non deponat, maximè peccat: quare ſi de errore monitus, in illo tamen perſeveret, præſumitur non ampliùs habere conſcientiam erroneam; ſed læſam, *arg. l.* 1. *§.* 8. *quod vi aut clam. Bart. l. c. n.* 19. & incipit contra conſcien- *Quando erronea.*

D tiam

quod naturaliter obligati ſumus; Ergo apparet, quod læſio hoc caſu deficiat; quæ tamen nec.ſſariò requiritur, ſi locum invenire debet denunciatio. Et ut res exemplis illuſtretur, conſiderabimur in quibusnam negotiis talis minùs plena obligatio inveniatur. In obligatione qnidem ad ἀντίδωρα; it. ad eleemoſynas res clara eſt. Quibus accenſendam puto obligationem, ad præſtanda integra legata, citra Falcidiæ detractionem; it. obligationem ad reſtituendam totam hæreditatem ex fideicommiſſo, citræ detractionem quartæ *jung. Hahn. in obſerv. ad Weſenbec. t. de condict. indebit. n. 6.* Quanquam enim obligatio aliqua ſit in hærede, adeoque videatur teneri ad implendam defuncti voluntatem, *arg. l. 1. C. ad l. Falc. junct. l. 10. de J. & f. ignor. conf. l. 10. de O. & A.* quoniam tamen alteri nullum Jus quæſitum eſt, ad debitum exigendum, hinc eluceſcit quòd hæc obligatio minùs ſit plena; Nam nihil deeſt alteri, quod illi debetur, neque ex promiſſione, neque alio quodam jure.

Quales ſunt hæredes fidei-commiſſo Univerſali, aut legatis gravati

X. Dices: utique hæredi debetur, J. ſcilicet hæreditario, quod voluntate defuncti illi acquiſitum? ℞. deberi quidem hæredi Jure hæreditario, quod ipſi à defuncto relictum; ſed an ita debeatur, quod relictum; ut nullam ob cauſam ejus aliqua pars detrahi poſſit, meritò dubitandum. Quemadmodum ergo æquum eſt, ut impleatur voluntas defuncti in præſtandis legatis & fideicommiſſis, ita æquum viciſſim eſt, ut inſtitutus hæres non incommodum tantùm ſentiat, neque tempus & labores perdere teneatur; ſed aliquam habeat recreationem: quare veluti obligationem ex Jure hæreditario legatario aut

fidei

fideicommiſſario acquiſitam eſſe reſpectu illius partis, quæ poſt quartæ detractionem ſupereſt, concedimus; ita plenam illam eſſe reſpectu legatorum & fideicommiſſorum absque detractione præſtandorum negamus. Adde, quòd in teſtatoris poteſtate fuerit expreſſis verbis detractionem quartæ prohibere. *Nov.* 1. *c.* 2. illo igitur intermiſſo, videtur ejus detractionem permiſiſſe. Nullo modo ergo denunciatio in hac facti ſpecie locum habere poterit; cum etiam J. Canonicum hanc detractionem admittat. *c. Raynatius, & c. Rainaldus de teſt.* Idem dicendum de Obligatione, quæ ex teſtamento imperfecto naſcitnr.

Datur contra illum, qui ex oblig. Nat. plenâ obligatus, ſi illam Jus Civ. non in totum rejiciat.

XI. Aliud de obligatione Naturali plenâ dicendum; cum in illâ & obligatio ſit, & alteri Jus quæſitum, ad exigendum illud, quod naturaliter debetur, ſolumque civile vinculum deſit; hanc verò civilis obligationis abſentiam obſtare minimè puto, quo minus noſtra denunciatio locum habere poſſit, etiamſi enim plena obligatio naturalis deſtituatur actione, operatur tamen de Jure Civili exceptionem, retentionem, compenſationem *l.* 6. *ff. d. compenſat. l.* 10. *d. O. & A.* aliosque effectus, de quibus *vid. Bachov. ad §.* 2. *Inſt. d. obligat. Sutholt. Diſſert.* 12. *aph.* 14. *cum ſeqq.* Hinc datur quoque denunciatio contra debitorem ex pacto nudo obligatum. *Vid. Bertachin. in repert. Jur. verb. Denunciatio.*

Secus ſi in totum illâ improbet Jus Civile.

XII. Multò ſecus ſentiendum de obligationibus naturalibus, quas Jus Civile rejicit in totum; neque actionem tribuendo, neque remiſſiores effectus: & proinde in illis non habebit locum noſtrum remedium. Quas inter eſt obligatio mulieris con-

tra SCtum Vellejanum intercedentis; it. Filiifam. contra SCtum Macedonianum mutuum contrahentis. Rationem in eo principaliter poſitam vult *Panormitan. ad h. e. n.* 33. quod hæ Legum conſtitutiones ſint punitoriæ maximè ea SCti Macedoniani; Pupilli citra autoritatem Tutoris contrahentis nec locupletioris facti: quamvis *Perez. ad C. de auctor. præſt. n.* 9. contendat pupillum naturaliter obligari; etiamſi locupletior factus non ſit, quatenus habet ſenſum, indeque oriri conſenſum & obligationem *l.* 5. *pr. de aut. tut.* eum autem conſenſum habere ideò, quia poſſit obligari ex delicto: facit quoque *l.* 1 *de Novat.*

Aliud dicendum ſi dolus interVenerit. XIII. Certis tamen caſibus denunciatio poteſt inſtitui contra SCtum Vellejanum v. g. ſi mulier callidè & doloſè interceſſiſſet negotium ſuum mentita *l.* 30. *ff. ad SCt. Vellejan.* aut precium pro interceſſione accepiſſet *l.* 23. *C. eod.* Similiter ſi Filiusfamilias hactenus temperanter vivens à Titio blandis & ſpecioſis verbis centum accepiſſet ad commoda promovenda, poſtea autem centum iſtos profundens Titium decepiſſet, rectè denunciaretur. *Dn. Godofred. Jena de SCt. Macedon. ſect.* 4. *aphor.* 7. *n.* 11. *& ſeqq.*

Contra Uſurarium non datur l. C. V. XIV. Circa Uſurarum materiam; Q. an denunciari poſſit uſurarius? Pro cujus quæſtionis reſolutione primo ſciendum; non ſermonem nobis eſſe de tali denunciatione, quæ tantùm fit ob emendationem, citra rei reſtitutionem, v. g. an denunciare poſſem Uſurarium improbum fœnus à Titio exigentem; hac fini, ut agat pœnitentiam; ſed de caſu, quo Titius pecuniam ſub Uſuris beſſibus mutuò ſumpſit à Cajo, an poſſit denunciari Cajus, uſuras tales exigens

ꝶ. de J. Civ. quod non ; ſi enim Mercator eſt Titius, tales Uſuræ ſunt permiſſæ *l. 26. §. 1. C. de Uſur.* ſin minùs, non quidem permiſſæ ſunt, aliud tamen datur remedium civile. Verùm an ſecundum J. Can. detur denunciatio, quæritur; præſertim cum communis ſit Dd. opinio, quoad Materiam uſurarum præferri Juri Civili J. Canonicum ; ſecundum quod Uſuræ omnes omninò prohibentur, & inter delicta referuntur.

XXV. Utrumque ſcrupulo non caret: Et quod primum attinet; ita quidem eſt, referri materiam uſurarum inter illas, in quibus J. Can. præ J. Civili attendi dicunt; verùm quod contrarium obſervetur in plurimis, etiam inter ipſos Pontificios teſtatur *Car. Molin. tr. de Uſur. paſſim.* Quanquam ille ſtatuat, Jus Civile per canones in hoc caſu improbatum minimè fuiſſe *d. tr. de Uſur. n. 515.* rationibus tamen parùm ſtringentibus. In Jure verò Can. uſuras omnes in totum prohiberi plusquàm manifeſtum eſt; *c. 10. de Uſur. verb. plus tamen ſorte*; quæ ſanè nullam reſtrictionem ad immoderatas tantùm patiuntur. Nec eſt quòd nonnulli dicant; ex hac ratione reſtringenda eſſe loca J. Can. quoniam Jus Divinum, in quo Jus Can. fundamentum prohibitionis ponit, immoderatas tantùm improbat. Namque ſi ita J. Can. explicandum, quatenus ejus deciſio S. Scripturæ, in quâ ſe fundat, convenit, inquamplurimis materiis omninò everteretur. Nonne enim poteſtatem Pontificis fundatam eſſe ait in dicto *Matth* 16, 16. ubi nihil minùs dicitur quàm illud. Plurima alia produci poſſent. Certum ergo, Jus Canonicum uſuras indiſtinctè prohibere ex falsâ hypotheſi

theſi, illas pariter Jure Divino omninò eſſe prohibitas. *Vid. Dn. Ziegl. diſſert. de Mohatra. th.* 25.

Neq; de l. Canon. XVI. Dicendum igitur neque ſecundum Jus Can. in materia Uſurarum locum habere Evangelicam denunciationem, niſi eo caſu, quando aliud remedium ordinarium non datur. Licet enim, uti ſupra dictum, veriſſimum ſit, illo Jure uſuras omni caſu, ſi corticem verborum inſpicias, improbatas; quoniam tamen uſus ipſe contrarius & interpretum explicationes tunc illas admittunt, quando ex mora debitoris creditor damnum paſſurus eſſet. *Vid. cit. Dn. Ritterſh. diff. J. C. & Can. l.* 4. *c.* 11. *in fin.* per contrariam conſuetudinem huic rigori detractum eſſe, plurimi cenſendum ſtatuunt. Quin etiam prædicto caſu creditori dari contra debitorem, uſuras ex mora debitas non ſolventem, æquum eſſe videtur, ne illi ſuum officium ſit damnoſum.

Niſi certo caſu.

Datur contra illum, qui iniquam obtinuit ſententiã XVII. Plura adhuc de Uſuris, & aliis uſurariis contractibus adjici poſſent; ſed properandum ad alia. Dari quoque contra eum hanc denunciationem, qui iniquam obtinuit ſententiam ajunt interpretes; & optimâ ratione, quando conſtat, per propriam confeſſionem ejus qui obtinuit, de iniquitate *Arnold. ab Haerſolt. de Act. p.* 7. *act.* 66. *n.* 4. Si verò de illa apertè non conſtet, diſtinguit *Dn. Goth. de Jena, d. tr. ſ.* 4. *aph.* 7. *n.* 32. inter indicia violenta & urgentia contra ſententiam; quæ ſi adſint, dari; ſin minùs & lævia tantummodo ſint illa indicia, denegari.

Deficiente alio remedio. XVIII. Datur autem etiam hoc caſu non niſi tunc, quando aliud remedium, ut puta appellationis, nullitatis, reſtitutionis, non competit. Concurrere enim

enim hæc remedia Juris Civ. cum denunnciatione, & ratione & authoritate Dd. caret; quanquam illud ſtatuat *Dn. Goth. de Jena. d. tr. n.* 37. Potiùs admiſerim iſtam exceptionem; dari hoc remedium pauperibus, ob privilegium paupertatis, etiamſi civile remedium competat. *Bart. in extrav. ad reprim. n. 9.* Quod tamen iterum ceſſat in locis, ubi conſtituti ſunt advocati pauperum, qui egenis, accepto ſalario à Magiſtratu, gratis patrocinium præſtant. Danda quoque hæc denunciatio, quando quidem de Jure competit aliud remedium, de facto tamen denegatur; ut, quando appellatio rejicitur ſine causâ. *Bart. d. l.* Aut ſi læſus intermiſit appellationem, metu Tyrannidis ſuperioris; *Vid. Panorm. ad h. c. n.* 20. E. illi, qui appellatione uſus, in qua prior ſententia confirmata, non adeò facilè competit; cum non præſumatur, Judicem, & ſuperiorem & inferiorem iniquè judicaturos.

XIX. An contra rem judicatam detur quærunt itidem Dd. & affirmat *Maranta de Ord. Jud. p. 6. c. de denunc. n.* 6. Ratio additur à *Panorm. ad h. c. n.* 21. quoniam ratione peccati ſententia non tranſit in rem judicatam *arg. c. 7. de ſent. & re jud.* Rariſſimè tamen tales caſus contingere poſſe puto; cum præſumptio ſit pro judice & pro ſententiâ latâ; quare, ad demonſtrandam ejus iniquitatem, probationes luce meridianâ clàriores afferendæ. *Conf. Bald. add. auth. ad hæc C. de Uſuris n.* 15. Extendunt quoque illud ad caſum *l. 2. C. de reſc. vendit.* quando ſcilicet læſio ultrà dimidium plenè probari non poſſit; denunciatus tamen de illâ in conſcientia ſit convictus; uti *ex Bald. in d. auth.* refert *Bertachin. in repert. Juris, verb. denunciatio.* Qui *Datur etiam contra rem judicatam.*

tamen *cit. loco* nihil expreſsè de denunciatione tali caſu competente continet.

CAPUT III.

De Forma & Subjecto.

§ I.

Forma eſt legitima correctio.

FOrma hujus denunciationis conſiſtit in legitimâ peccantis correctione, ut per actualem pœnitentiam à peccatis exeat. Ut autem reprehenſio illa legitima ſit, & ſuum conſequatur effectum, requiritur, ut illam duæ aliæ præcedant monitiones vel denunciationes. Prima fieri debet in ſecreto, nullo adhibito teſte, propter verba *Matth.* 18,15. *argue illum inter te & illum ſolum*; Poteſt autem illa fieri vel oretenus, vel per epiſtolam. An & per nuncium? *Affirmant Dd. & Dn. Goth. de Jena, ſect.* 4. *aph.* 10. *n.* 3. & quidem *arg. l.* 14. *§. ult. de conſt. pec.* Sed negativa verior: differt enim in eo à ſecundâ monitione, in qua adhibendi teſtes, vel unus vel plures. Nec eſt quod objici poſſet, teſtes in ſecundâ monitione, probationis loco adhiberi, præſente ipſo denunciante; nuncium verò in primâ monitione tantùm denunciandi cauſa ablegari. Notandum enim, ideò præprimis arguendum eſſe ſolum injuſtum illum rei alienæ poſſeſſorem, quò, ſi primæ denunciationi obſecundet, famæ ejus parcatur, neque peccatum manifeſtetur; in ſecundâ verò monitione teſtes non tàm probandi quàm adhortandi causâ aſſumi. Duo enim magis adhortari & arguere poſſe præſumuntur, quàm unus; quæ omnia verba tex-

Præcedunt duæ admonitiones privata.

Prima fieri debet ſecreto.

Non per nuncium.

Quia repugnat naturæ negotii.

ba textus : adhortare illum : luculenter demonſtrant.

II. Ex *l.14. §.3. de conſt.pec.* non video quomodo validum argumentum poſſit deduci; ſiquidem, quod conſtitutum attinet, non repugnat naturæ illius negotii præſentia plurium, multò minùs ejusdem revelatio; quod ſecus in præſenti caſu, ubi differentia hujus & ſecundæ denunciationis in eo eſt poſita, ut, ſi primæ pareat Reus, abſcondatur commiſſum peccatum, & pallio charitatis Chriſtianæ obtegatur, ne ad notitiam aliorum perveniat. Sequitur poſtmodum hanc primam denunciationem ſecunda, quæ fit adhibito teſte unico vel duobus, ad quam probandam juramentum & denunciantis & teſtis requiritur, ſi, illam factam eſſe, denunciatus neget. Ubi notandum, & in primâ & in ſecundâ denunciatione terminum præfigi poſſe, intra quem reſtituat; quo effluxo, & reſtitutione nullâ ſubſecutâ, eò tutiùs ulterius progredi poſſet denuncians, cum alioquin, nullo termino præfixo, ſemper ſpes correctionis queat ſupereſſe. Et hæ quidem duæ denunciationes regulariter ſemper præcedere debent tertiam, certis tamen caſibus adhuc omitti poſſe, nullum eſt dubium; utputa ſi periculum diſtractionis immineat, vel res ſit peritura; vel etiam in caſu *c.17. in fin. diſt. 45.* it. ſi jamdum publicè crimen ſit notum.

Secunda fit adhibito teſte, vel uno, vel duobus.

III. Nihil autem proficientibus prædictis monitionibus, ad tertiam progrediendum & denunciandus eſt Reus Eccleſiæ coram Judice Eccleſiaſtico, cui Jurisdictio in ſpiritualibus competit; utpote Prælato, Epiſcopo, aut quomodocunque nominetur, narrando le-

Et tandem ſequitur tertia.

do legitimè factum: Eſſe ſcilicet hunc vel illum injuſtum rei alienæ poſſeſſorem, & conſcientiam habere læſam; ſpretis tamen duabus admonitionibus, in peccato hucusque perſeveraſſe; petere ergo ſe, ut illum ad pœnitentiam, cenſurâ Eccleſiaſticâ, adigat, & à peccatis, reſtitutione rei alienæ, exire cogat. Ante omnia verò notandum, verba hujus denunciationis debere eſſe moderata, & adeò aliena ab omni non ſolùm injuria, quâ peccatoris fama lædatur in temporalibus; ſed etiam ita temperata, ne fortè animum ejus magis indurent aculeatâ & vehementiori reprehenſione; ſiquidem infamati libentius peccare ſolent. *c. 4. diſt. 17.*

Actor eſt ille qui læſus eſt.

IV. Satis de forma: progredior ad ſubjectum; quod duplex eſt, activum & paſſivum. Activum ſunt omnes læſi & civile remedium non habentes. Verùm controvertunt Autores, an etiam fieri poſſet, ſi, v. g. Titius peccaſſet non contra me; ſed contra tertium quendam; an pro tertio agere mihi ſit conceſſum? id quod interpretes affirmant; dubitandum tamen meritò de hac ſententiâ; cum enim hoc remedium civilia imitetur, ad illud nemo admittetur, niſi poteſtatem agendi à Principali acceperit. Et quidem ſi accepit, nullum eſt dubium quin competat: aſt ubi talis eſt ſtatus controverſiæ, quo Titius iniquam contra Cajum obtinuit ſententiam, Cajus tamen rem ſuam penes illum relinquere mavult, quàm hoc remedio experiri; tunc mihi, ſcienti Titium habere conſcientiam læſam, non incumbit inſtituere illud remedium contra Titium, ut rem injuſtè poſſeſſam redderet Cajo, atque hoc modo de peccato exiret.

Tertius agere pro alio non tenetur.

V. Ete-

V. Etenim quanquam de fraternâ correctione affirmandum, teneri ſcilicet Chriſtianum corrigere non ſolùm peccantes in ſe, verum etiam in alios; ut reſipiſcant: de hoc tamen remedio tantùm abeſt, ut tenear ego loco alterius inſtituere hoc remedium; ut potiùs, quando inſtituerem, repellendus ſim. Ultra enim, quod Apoſtolus, ſatiùs eſſe, dicat, perferre injuriam, quàm litigare, 1. *Cor.* 6,7. adeò incertum eſt, ut, intentato hoc remedio contra proximum, ille ſemper ad pœnitentiam agendam inſtigetur, ut ſæpe numerò magis magisque in injuſtitiâ ſuâ atque impœnitentiâ perſeveret, & ad blaſphemationes, contemptum miniſterii inſtigetur; vel etiam de probationibus contra conſcientiam ſit ſollicitus. Et licet verum ſit, peccatum non remitti, niſi reſtituatur illud quod ablatum eſt, *reg.* 4. *de Reg. J. in* 6. non ſequitur tamen, quandocunque denuò fuit extortum quod in foro ſeculari injuſtè quis obtinuit, etiam peccatum ipſi eſſe remiſſum; cum remittatur non niſi pœnitentibus, quales non ſtatim ſunt, quibus res aliena aufertur. Quoniam ergo finis, propter quem tertius aliquis contra injuſtum poſſeſſorem inſtituere poſſit hoc remedium, non ſit verus illius finis; ſed tantùm ſimulatus; neque per rei reſtitutionem obtineatur; concludendum, tertio alicui tale remedium, invito principali, non dari; deficiente præprimis textu.

Quamvis adhortari teneatur.

Per hoc remedium non ſemper corrigitur proximus.

VI. Aliam movet quæſtionem, *Dn. Got. de Jena d. tr. ſ.* 4. *aph.* 7. *n.* 44. Utrum hoc remedium Auguſtanæ confeſſioni addictis competat? Affirmativa veritati pleniſſimè reſpondet; maximè cum Jus Can. apud nos ſit receptum in nonnullis materiis. Nec

Competit etiam proteſtantibus Imperii ſtatibus.

 obeſſe

obeſſe poteſt, quod Lutherus, veræ religionis primus reſtaurator, Jus Canonicum Wittebergæ publicè concremarit; non enim hac fini illud fecit Vir piiſſimus, ut illud omninò in omnibus damnaret & rejiceret, ita ut nulli Principum integrum ſit, ex iſto Jure aliquod remedium, quod Reipublicæ ſalutare ac proficuum eſſe poſſit, per conſuetudinem introducere; ſed quicquid fecit ad demonſtrandos errores ſedis Pontificiæ fecit.

An proteſtantibus contra Catholicos; & contra?

VII. Sed alia inde emergit quæſtio: utrum Pontificius contra Lutheranum coram Magiſtratu Eccleſiaſtico Lutherano hoc remedio poſſet uti; & contra? Secundum textus Juris Can. negativè fortean eſſet reſpondendum: Neque dubito quin noſtrates repulſam ſint paſſuri ſi illud remedium contra Catholicum moverent *argum. c. 3. ſeqq. III quæſt. 7.* quo jure quavé injuriâ jam non diſputo; illud ſolùm addo: neque hæreſin, neque ipſam infidelitatem, uti nominant, ſeu paganiſmum obſtare, quo minùs illis, quibus injuria fit, juſtitiam adminiſtrarè, reſtituendo quod injuſtè ablatum, debeat Magiſtratus Chriſtianus, etiam Eccleſiaſticus. Dedecet enim Chriſtianum, injuſtis mediis trahere ad ſe bona illorum, qui ſunt extra Eccleſiam; hujusmodi facinoribus glorioſum Dei & Servatoris nomen obliteratur, atque hæreticis & Paganis anſa calumniandi præbetur. Quod textus decreti attinet; hauſti ii ſunt ex Patribus, ſed more Pontificio applicati; ſiquidem loquuntur aut de correctione fraterna, quam non niſi juſtus facere poteſt, ſecundum illud Chriſti, *Luc.* 6, 41. 42. aut illud volunt, criminoſum eſſe non poſſe judicem: quid verò hæc ad denegatio-

Iuſtitia adminiſtranda etiam Hæreticis & Paganis.

gationem remedii extraordinarii, competentis in caſum deficientis actionis ordinariæ aut denegatæ juſtitiæ?

VIII. Sequitur Subjectum paſſivum; uti autem activum, ſecundum Jus Canonicum, tantùm eſt fidelis ſive Chriſtianus; [licet aliud ſuadeat æquitas] ita multò magis ſubjectum paſſivum aliud eſſe non poteſt niſi Chriſtianus; Paganus enim & Judæus non modo cenſuram Eccleſiaſticam ſperneret; ſed etiam probandi media interverteret. Hoc loco disquiritur: Utrum Papa poſſit denunciari? quam quæſtionem prolixius tractat *Dn. Goth. de Jena d. tr. aph.* 9. *n.* 6. *& ſeqq.* Ego breviſſimè ℟. ob aliquod peccatum admoneri quidem poſſe à ſuo confeſſionario; ſed an multum profutura ſit admonitio in filio perditionis, viderit ille; ob rem verò injuſtè poſſeſſam otioſum erit quærere, an poſſit denunciari; cum ſuperiorem judicem, neque temporalem, neque Eccleſiaſticum agnoſcat; & cum ſecundum Canoniſtas, denunciationis noſtræ intermiſſio ſit meritoria, ubi timetur deterioratio, ſupr. *c.* 1. *th.* 5. opus bonum faciet, qui ab hujusmodi denunciatione Papali abſtinet; nec enim ſperandum Pontificem reſtitutum ſponte Patrimonium Petri Imperio Romano, licet vel centies aut conciliis aut toti Eccleſiæ denunciaretur.

Reus tantùm eſt Chriſtianus.

Papa non poteſt denunciari.

Tùm quia ſummus eſſe prætendit;

Tùm quia incorrigibilis.

CAPUT IV.

De Modo procedendi; & de Effectu.

§. I.

Modus procedendi in hoc remedio eſt de ſimplici & plano: ſiquidem neglectis formalibus proceſſus

Proceſſus eſt de ſimplici & plano

tem defendit conſcientiam, qui aut nullam cauſam allegare poteſt; aut cauſam quidem allegat, ſed injuſtam. *Maſcard. de Probat. verb. Denunciatio. n.* 16. Non-nunquam tamen ad probationem tituli allegati adigitur Reus 1. quando denunciatus eſt Vir ſuſpectæ fidei, & modicæ, vel levioris conditionis. *arg. l.* 5. *§.* 6. *de re milit.* 2. ſi rei petitæ quantitas ſit magna, ſcilicet reſpectu conditionis & fortunarum denunciati *Bart. ad d. conſt. verb. Denunciatio. n.* 18. 3. ſi à principio negavit poſſeſſionem rei petitæ; vel, allegatâ causâ aliquâ, ad aliam recurrat; vel, ſi negavit rem eſſe actoris; poſtea verò confiteatur, aut convincatur; & impræſentiarum aliquem alleget titulum, quo ad ſe pervenerit; tunc enim non creditur illi, niſi iſtum titulum probet. *Bartol. d. l. n.* 18. *& ex eo Maſc. d. l.*

Niſi certis caſibus.

III. Læditur porro conſcientia non tantùm peccati commiſſi ſtimulis internis, quibus animus redditur inquietus; ſed etiam quavis ſcientiâ de peccato commiſſo, & detentione vel poſſeſſione injuſtâ; adeoque in hujusmodi caſibus Judex, ex circumſtantiis facti & præſumptionibus de conſcientiâ alicujus ſalvâ vel læſâ judicabit.

Conſcientia quando dicatur læſa.

IV. De eo qui erroneam habet conſcientiam, dubitatur num contra conſcientiam rem retineat, cum in firmâ opinione ſit, ſe bonam fovere cauſam? ℞. *Bartol. l. c. n.* 18. *in fin.* licet non peccet contra conſcientiam; tamen in eo, quod conſcientiam erroneam non deponat, maximè peccat: quare ſi de errore monitus, in illo tamen perſeveret, præſumitur non ampliùs habere conſcientiam erroneam; ſed læſam, *arg. l.* 1. *§.* 8. *quod vi aut clam. Bart. l. c. n.* 19. & incipit contra conſcien-

Quando erronea.

 tiam

tiam peccare, adeoque eandem cum aliis incurrit pœnam.

V. In ambiguam quoque erumpit diſputationem; an proceſſu tali modo cœpto, ſi ingeratur aliqua difficultas, Judex poſſit procedere per viam inquiſitionis? Dummodo urgentia contra denunciatum adſint indicia, affirmativè ſubſcribendum eſt: *per annot. à Bart. l. c. n. 8. lit. f.*

Effectus eſt rei reſtitutio. Ad quam compellitur reus cenſurâ Eccleſiaſticâ.

VI. Supereſt ut de effectu nonnulla ſubnectam; qui eſt rei reſtitutio; actore intentionem ſuam probante. Verùm ſi ſententiæ Judicis Eccleſiaſtici parere nolit, quomodo coërcendus ſit Reus, ambigitur? Communis eſt reſponſio talem contumacem incurrere cenſuram Eccleſiaſticam; nempe excommunicationem. Sed ſi neglectâ & ſpretâ hâc cenſurâ rei reſtitutionem adhuc detrectet Reus, num ulterius procedere poſſit Judex Eccleſiaſticus, hæſitatur? Non unam hîc fovent ſententiam Dd.: ſunt qui terminari poteſtatem ſpiritualem, aſſerunt; inter quos eſt *Strein. loc. ſupr. cit. Dn. Goth. de Jena l. c. aph. 13. n. 19. ſeqq.* & alii quàmplurimi. Ulterius tamen procedere poſſe Judicem Eccleſiaſticum, & mittere in bonorum poſſeſſionem actorem, aſſerit *Maranta de Ord. Jud. p. 4. diſt. 11. n. 12. & p. 6. c. de denunciat. n. 5.* ſubnixus autoritate *Bald. in auth. ad hac. C. de Uſur. & Felini ad hoc c. novit. col. fin.* Qui effectus, cum ſit Judiciali denunciationi proprius, *Panormitano* anſam dedit denominandi illam à fine, judicialem; & videtur *ad h. c. n. 55. & ſeqq.* diſtinguere velle inter Evangelicam denunciationem in ſpecie ſic dictam, quæ peccata tantùm coërcet, & judicialem Evangelicam, quæ etiam rei reſtitutionem deſiderat, origine tamen eſt Evangelica.

Qu. An miſſione in poſſeſſionem.

VIII.

VII. Verùm enim verò huic aſſertioni plurima obſtant; Nam cum ſecundum *pr. h.c.* diſtinctæ Jurisdictiones confundendæ non ſint: certè hæc foret confuſio inſignis, quando Magiſtratus Eccleſiaſticus exerceret actum Magiſtratui ſeculari præjudicialem; Vix ac ne vix igitur Eccleſiaſtico judici miſſio in bonorum poſſeſſionem eſt permittenda, niſi in caſu quo Judex Eccleſiaſticus etiam temporalem habet poteſtatem, aut quando decernere quidem miſſionem poteſt Judex Eccleſiaſticus; executionem tamen Magiſtratus ſecularis brachiô & ejus autoritate faciendam curat. *Videtur quod non.*

VIII. Utut abſolutè ſtatuant canoniſtæ cum materia adſit peccati, etiam executionem à Magiſtratu Eccleſiaſtico fieri poſſe; adeoque ſpectare hoc remedium ad caſus, quibus Laici Clericorum Jurisdictioni neceſſario ſunt ſubjecti, ut coram illis experiri teneantur; *Marant. de Ord. Jud. d. l. n.* 12. *it. n.* 25 *& ex illo Becker. in Synop. J. P. l.* 3. *c.* 3. *n.* 8. *circa fin.* quod probant *arg. c.* 8. *& c.* 11. *de for. compet.* Quæ ſententia ſecundum principia Juris Can. & interpretum explicationes, admittenda; tùm *arg. dd. cap.* quorum ſanè effectus eſſet nullus, niſi quoque propriâ autoritate executionem facere & immiſſionem decernere poſſet Judex Eccleſiaſticus, præſertim cum ſeculares Judices odii, avaritiæ, invidiæ aliorumque affectuum turbatorum non raró ſervi, in juſtitiâ perſonis Eccleſiaſticis exhibenda ſæpè ſint remiſſi. Non ergò ex mente canoniſtarum prædictô caſu confunduntur Jurisdictiones; cum Judex Eccleſiaſticus ad evitandum peccatum habeat contra quoslibet actualem Jurisdi- *Affirmat tamen Ius Canonicum.*

ctio-

ctionem per *h. c. 13. de Judic* & ex officio quaſi teneatur ſe intromittere ad ſupplendam negligentiam Judicis ſecularis. *c. 6. c. 12. de Offic. Jud. Ord.* Non verò contrà tale quid ſeculari volunt competere ut ſupplere poſſet defectum Judicis Eccleſiaſtici; quia [præſuppoſitâ Papicolarum hypotheſi] ſecularis planè eſt incapax Jurisdictionis Eccleſiaſticæ *c. 10. de conſtitut. Conf. Bald. auth. ad hac C. de Uſuris.*

Licet contrarietur praxis & ratio Juris. IX. Quicquid ſit de Jure Canonico contrarium, tamen etiam apud ipſos Pontificios obſervari, & conſuetudo probat, & ipſe *Strein Sum. J. Can. p. 3. tit. 1. n. 3. de Gallia teſtatur.* Nec immeritò. Cum enim apud Romanos Gentiles adhuc, de cauſis, quas ipſi ſpirituales aut ſpiritualitati annexas nominant, cognoverit Magiſtratus ſecularis cujus reſponſa haud rarò etiam Clerici approbant, illaque conſentanea æquitati aſſerunt: quidni etiam inter Chriſtianos Magiſtratum ſecularem in talibus decernere poſſe, citra opem Cleri & Sacrificulorum, credendum? Vix ulla unquam gens ſummâ poteſtate Regum & Principum ſuperiorem conſtituit Sacerdotem; ſoli à Romulei Præſulis Religione dependentes Principes faſtigium illud conceſſæ ſibi à Deo poteſtatis ſeque ipſos Eccleſiaſticis ſubmittunt, minimè verò Orthodoxi Status Proteſtantes, unde in horum quoque regionibus exiguus eſt hactenus explicati remedii uſus; aut ſi contigerit illo quenquam uti; & executio, & cauſæ cognitio, ad judicem ſecularem ſpectabit, perſpectis & exploratis circumſtantiis, jus juſtitiamque oppreſſo lubentiſſimè adminiſtraturum.

S. D. G.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE